TITI POMPONII ATTICI

EPISTVLARVM

FRAGMENTA ET VESTIGIA.

Dissertatio inauguralis
quam ad summos in philosophia honores auctoritate amplissimi philosophorum ordinis in universitate Ludoviciana Gissensi rite obtinendos

scripsit

FRIDERICVS·KREDEL
Nauheimiensis.

Gissae MCMXXII.
in officina Herriana.
(manibus auctoris scripta).

Dissertatio ab amplissimo philosophorum ordine
probata est a. d. XIII. Kal. Jan. MCMXXII.
Rudolpho Herzog, Hugiberto Hepding refrentibus.

De Titi Pomponii Attici persona neminem fere adhuc diligentius atque accuratius disseruisse mirandum est, eoque magis, quod Titus Pomponius Atticus non modo homo clarus et illustris sed etiam Ciceronis familiaris erat. Quamquam Attici opera et epistulae memoriae servatae non sunt, tamen Ciceronis ad Atticum epistulae permulta nobis vestigia praebent. Nobis si Titi Pomponii Attici vitam, occupationes, studia cognoscere studemus, admiratio Attici vitae quam Cornelius Nepos composuit, saepe neglegenda est; nam Cornelius Nepos, qui Attici amicissimus erat, omnia amici propria in virtutes commutare studet.

In hac dissertatione Titi Pomponii Attici epistularum fragmenta et vestigia colligere nobis propositum est! Priusquam ad ipsam huius opusculi materiam accedamus, hoc loco, quomodo et ex fragmentis et ex vestigiis Attici epistulas restituerimus copiose explicare nobis in animo est.

Servata nobis sunt non multa Attici epistularum fragmenta, oratione recta a Cicerone in epistulis suis ad verbum exscripta (cf. ep. IX, 10, §§ 4-10; ep. XII, 7, §§ 3-6!), praeterea multa breviora fragmenta, quae singulatim enumerare longius est.

Maximi ponderis nobis videntur esse fragmenta, quae in l. IX, ep. 10, §§ 4-10 servantur. Nam Cicero in epistulis praecedentibus libri septimi saepe id quod Atticus in his epistulis scripserat oratione obliqua profert; in epistula posteriori (IX; ep. 10, §§ 4-10) Cicero solacii causa amicum nonnullos harum epistularum locos ad verbum exscribit; quibus ex locis demonstratur praeclare qua ratione Cicero Attici epistulis respondere solebat. Iisdem fere nobis quam in epistulis Atticus tunc in responsis Cicero utitur; talia responsa Cicero plerumque verbis: „quod scribis" + acc. c. inf., „quod putas" + acc. c. inf., „gaudeo" + acc. c. inf., „quod scribis de ....", „de ...." introducere solet. Exempli gratia complures harum epistularum hoc loco ad comparandum colligimus, ut ex iis ratio restituendi Attici epistulas, quam adhibuimus, legenti ante oculos ducatur:

ep. IX, 10, § 5: + „..., summo enim periculo tui nec rei publicae proderis, cui quidem posterius poteris prodesse, si manseris."	ep. VII, 22, § 2: de me autem ipso tibi adsentior, ne me dem incertae et periculosae fugae, cum rei publicae nihil prosim, nihil Pompeio.
ep. IX, 10, § 6: + „ego vero nulla epistula significavi, si Gnaeus Italia cederet, ut tu una cederes, aut, si significavi, non dico fui inconstans, sed demens."	ep. VIII, 2, § 4: significas enim aliquanto secus, quam solebas, ut etiam Italia, si ille cedat, putes cedendum.
ep. IX, 10, § 8: + „..., tamen ... maneo in sententia et gaudeo te mansisse."	ep. IX, 2: gaudere ais te mansisse me et scribis in sententia te ma-

ep. IX; 10, §9:
+ „tamen te non esse una cum Pompeio non fero moleste. Postea, si opus fuerit, non erit difficile, et illi, quoquo tempore fiet, ἀσμενιστόν."

ep. IX; 2a, §2:
confido igitur adventum nostrum illi quoquo tempore fuerit, ut scribis, ἀσμενιστὸν fore.

ep. IX; 10, §8:
+ „tum poteris nos deliberare, non scilicet integra re, sed certe minus infracta, quam si una proieceris te."

ep. IX; 6, §5:
tuas nunc epistulas a primo lego. Hae me paulum recreant. Primae monent et rogant, ne me proiciam. Proximae gaudere te ostendunt me remansisse.

ep. IX; 10, §8:
+ ... et gaudeo te mansisse."

ep. IX; 2a, §1:
+ „di", inquis, „averruncent!..."
+ „impetrabis", inquis, „a Caesare, ut tibi abesse liceat et esse otioso."

ep. IX; 6, §4:
equidem illud molior, quod tu mones sperasque fieri posse, ut mihi Caesar concedat, ut absim, cum aliquid in senatu contra Gnaeum agatur.

Satis putamus ex his exemplis elucere Attici epistulas nequaquam adeo incertas a nobis restitutas esse quam nonnullis, qui hanc dissertationem strictim attingunt, fortasse videatur. Nunc de aliis notis, quibus Attici vestigia cognoscuntur, agere nobis in animo est.

Et pronomen „iste" significat, Atticum certarum rerum in epistulis suis mentionem fecisse; etenim „iste" significat „[illegible]" et hoc pronomen, si a Cicerone in responsis adhibetur, ad Attici epistulas pertinet. Pauca tantum exempla hoc loco afferimus:

ep. II, 15, §2: Bibuli autem ista magnitudo animi in comitiorum dilatione quid habet nisi ipsius iudicium ....?
Atticus agit in epistula sua de „Bibuli magnitudine animi."

ep. XIII, 19, §3: in Varrone ista causa me non moveret, ne viderer φιλένδοξος, ...; sed, quia scribis et desiderari a Varrone et magni illum aestimare, eos confeci...
Atticus Ciceroni scripserat sese putare Ciceronem ideo Varronis personam intexuisse in dialogos, ne videretur „φιλένδοξος; addit: „et desiderantur a Varrone et magni ille aestimat [sc. Dialogos tuos]."

Et aliis verbis significatur, Atticum de quadam re in epistulis suis egisse, e. g. verbo „quoque": Afferimus exemplum, quod invenitur in ep. II, 16, §4: „quod de Quinti fratris epistula scribis, ad me quoque fuit: πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ ... quid dicam nescio." - Atticus in epistula sua mentionem facit Quinti fratris epistulae et verbis illis: „πρόσθε λέων ὄπιθεν δὲ ..." utitur, ut Quinti epistulae inconstantiam et varietatem animi significet.
Omnia talia Attici epistularum vestigia hoc loco proferre longius est; nos maximam diligentiam adhibuisse in investigando talia vestigia affirmare non putamus necesse esse.
In restituendis Attici epistulis quantum potuimus singulorum verborum ordinem, ut in Ciceronis epistulis inveniebatur, conservavimus, quo propius ad Attici scribendi rationem accederemus. Etenim Atticus, homo negotii gerens, ad omnia quae ex eo quaesita erant, diligenter et accurate servato ordine respondebat. Quam ob rem et ex ordine, quo Cicero ad amici epistulas respondet, singularum rerum ordinem in Attici epistulis cognoscere licet. Epistula IV, 1, §11 demonstrat hanc Attici consuetudinem fuisse. Hoc loco Atticus, epistu-

lae οἰκονομίαν" perturbat, quod non saepe fiebat. Cicero scribit hoc loco: „οἰκονομία [i. e. epistulae dispositio] si perturbatior est, tibi assignato. Te enim sequor σχεδιάζοντα [i. e. qui scribis quod tibi in mentem venit]." - Atticus in epistula sua, cui haec Ciceronis epistula respondet, excusare se videtur, quod praeter consuetudinem tali modo scribat. Haec „οἰκονομίας perturbatio" nobis commemorandi digna videtur, quod et in ep. XV, 25 invenitur. (cf. pg. 8.!)

Saepe in Ciceronis ad Atticum epistulis inter singulas res, quas hic verbis „de..." sive „quod scribis de..." sive per similibus verbis introducere solet, quae supra commemoravimus, nonnullae res sine significatione aperta implecuntur. Colligere tamen licet (ut ex compluribus locis, qui in epistulis inveniuntur, elucet) harum rerum in Attici epistulis mentionem factam esse; ex sensu semper diiudicandum est.

Ad Attici scribendi rationem cognoscendam et ad restituendas eius epistulas magni momenti nobis videtur esse ep. XII, 6, 3 4. In hac epistula Cicero scribit: „Caesar autem mihi irridere visus est „quaeso" illud tuum, quod erat et ἀστεῖος et urbanum." Agitur hoc loco de Attici ad Caesarem pro Buthrotiis petitione, in qua Atticus vocem „quaeso" saepius adhibuerat. Ex his Ciceronis verbis concludendum est Attici scribendi genus, quod hac voce saepius utebatur, „urbanum" fuisse, quod et ex aliis locis patet.

Attici urbanitatis testimonium nobis videtur esse et ep. II, 1, 6; hoc loco Atticus Ciceronem obiurgat de Pompeii familiaritate quodam modo molli bracchio!

Eis sententiis, in quibus Atticus a Cicerone aliquid petebat, verbum „velim" plerumque anteposuimus; hoc enim ex Attici scribendi urbanitate colligendum esse putavimus, tum et in Attici epistulae fragmento oratione recta servato hanc vocem invenimus; cf. ep. XVI, 7,

§ 3: „olim [?]fore aliquos dimes..."

Nihilo plus quam opus erat Atticus scribere solebat; sententiae eius, ut ex fragmentis colligendum est, breves sunt nec plus continent quam ut ad id quod ex eo quaesitum erat respondeant. Hanc scribendi rationem et ad Ciceronis respondendi genus plurimum valuisse quis est quin credat? Nam et Cicero in responsis suis brevius saepe scribit quam ut nos id intellegere possimus et persaepe Attici formulis utitur. Hac stricta, ut ita dicam respondendi ratione saepe fit, ut singulae res, de quibus agitur non pateant, praesertim cum et Cicero et Atticus „ἀινγμῶς" scribant, quia epistulas ignotis tabellariis committunt.

De Attici scribendi ratione et Cicero in compluribus epistulis agit, e.g. ep. II, 11, § 1; ep. II, 15, § 1. — Dum Atticus in Epiro fuit Cicero breves tantum epistulas ab eo accepit (cf. ep. I, 19, § 1). Temporibus periculi et Cicero Attico et Atticus Ciceroni cotidie fere scribebat.

Ex toto Attici scribendi genere homo, qui in negotiis plurime versatur, facile cognoscitur. Semper epistulis diem, quo datae erant, adscribebat. Cicero quod hoc Atticus semel neglexit miratur. Sed et tum ea quae acciderunt, tam accurate tamque diligenter significat ut dies, quo haec epistula data est facile destinari possit: ep. III, 23, § 1: in altera epistula praeter consuetudinem tuam diem non adscribis, sed satis significas tempus; lege enim ab octo tribunis pl. promulgata scribis te eas litteras eo ipso die dedisse id est a. d. V. Kal. Nov. [ed. a. [?]]. Atticus ut colligere licet scripserat:

„lege ab octo tribunis pl. promulgata has litteras eo ipso die dedi."

Forsitan Atticus compluribus epistulis seu locum, unde datae, seu tempus quo datae erant, adscripserat.

cf. ep. I, 13, § 1: tertiam [epistulam], quam, ut scribis, ancora soluta de phaselo dedisti. – Atticus adscripserat:
„data ancora soluta de phaselo."
cf. ep. V, 21, § 4: acceperam autem satis celeriter Iconii per publicanorum tabellarios a Lentuli triumpho datas. Atticus adscripserat huic epistulae:
„data a Lentuli triumpho."
cf. ep. IX, 2, § 1: ... tamen ad eam ipsam brevem, quam IV. Nonas ἀπὸ τῆς λήψεως dedisti, rescribendum putavi. – Atticus adscripserat huic epistulae:
„data (a. d.) IV. Nonas Mart. ἀπὸ τῆς λήψεως."
cf. ep. XIII, 45: ... tuque ut ab ludis scriberes. – A. adscripserat:
„data ab ludis."
cf. ep. XII, 8, § 1: nunc demum enim rescribo iis litteris, quas mihi misisti convento Antonio Tiburi. – A. adscripserat:
„data convento Antonio Tiburi."

Hoc loco addimus initia nonnullarum Attici epistularum, quae nobis ad verbum servata sunt. Atticus in iis loquitur tali modo, quem nos „plozz" nominare consuevimus.

cf. ep. I, 10, § 1:
„cum essem in Ceramico."

cf. ep. III, 26, § 1:
„quotiens exorior.."

cf. ep. XII, 23, § 1: putaram te aliquid novi – quod eiusmodi fuerat initium litterarum, quamvis non curarem, quid in Hispania fieret, tamen te scripturum.
Initium huius Attici epistulae tale fuit, ut Cicero crederet amicum aliquid novi nuntiaturum esse; fuerat initium huius Attici epistulae tale:
„quamvis non cures, quid in Hispania fiat, tamen scribam."
Tamen Atticus de his rebus nihil scribit et tantum Ciceronis litteris respondet.
De aliis Attici epistularum initiis nihil addimus,

quia non multum novi nobis praebent. Nam sicut nostra aetate, ita et illis temporibus usitatum erat initio epistulae quaerere, quot epistulas amicus interea acceperit atque enumerare, quot epistulae interea ad amicum datae sint. (cf. ep. II. 1, §1.)

Attici epistulae finis servatus est in ep. V, 4, §4: habes ad omnia. Etsi paene praeterii chartam tibi deesse. - In extrema epistulae parte Atticus scripserat: "charta mihi deest" atque cur minus multa ad amicum scripserit excusat.

cf. ep. IX, 7, §7: "nam, ut tibi ambulandum, unguendum, sic mihi dormiendum." - Atticus epistulae brevitatem excusasse videtur; his fere verbis eam conclusit:

"plura scribere tibi nequeo, nam mihi ambulandum, unguendum est."

Alii Attici epistularum fines aut nobis servati non sunt, aut nihil novi praebent; nam passim epistularum in finibus salutationes addi solebant seu similibus conclusionibus epistulae conficiebantur.

Sua plerumque manu Atticus epistulas ad Ciceronem scribere solebat, ut Cicero iam ex eo quod epistulae alterius manu scriptae erant, Atticum aegrotare putet. (cf. ep. VII, 2, §3.)

Epistularum suarum exemplaria Atticus diligenter colligebat, ut elucet ex ep. II, 8, §§ 1 et 2. Agitur hoc loco de Attici epistula, quam pueri in via amiserant et quae ob hanc causam in Ciceronis manus non pervenit. Cicero hoc loco scribit:

(ep. II, 8) §1: nunc, si quid in ea epistula, quam a. d. XVI. Kal. Mai. dedisti, fuit historia dignum, scribe quam primum, ne ignoremus.

§2: epistulam superiorem restitue nobis et appinge

ge aliquid novi.
Hoc autem fieri non potuisset, nisi Atticus in tabulario suo epistularum exemplaria conservasset.

[In nostra dissertatione sequuntur hoc loco et index librorum, quibus in componendo opusculo usi sumus et conspectus notarum, quas in editione nostra Attici epistularum adhibuimus. Et indicem librorum et conspectum notarum huic libello non addimus, quia sine editione ipsa non multum valent.-
Adnotamus hoc loco totius operis unum tantum exemplar manu auctoris scriptum in bibliotheca universitatis Ludovicianae Gissensis conservari.]

De Titi Pomponii Attici epistularum sermone quaestiones.

In hac appendice de Titi Pomponii Attici in epistulis sermone breviter disserere nobis in animo est. Quanquam permulta et de Ciceronis in epistulis sermone et de eorum, qui ad Ciceronem epistulas dederunt, scribendi ratione scripta sunt, tamen nemo adhuc Titi Pomponii Attici epistularum reliquias dignas habuit ut de huius viri in epistulis sermone subtilius dissereret. Obstabat adhuc - concedendum est - imprimis Attici epistularum fragmenta et vestigia nondum satis accurate collecta fuisse. Nunc, quoniam in opusculo nostro et ex fragmentis et ex vestigiis Attici epistulas restituimus, in hac appendice de T. Pomponii Attici in epistulis sermone agere cogitamus

Caput I.

De Graeco in Titi Pomponii Attici epistulis sermone.

Omnes fere elocutiones Graecae, quibus Cicero in epistulis utitur, in epistulis ad Atticum inveniuntur; nec mirum, etenim Atticus saepe in Graecia versabatur, Graecae linguae peritissimus erat. Cicero eum iocose in ep. I, 19, §10, „hominem Atticum" nominat et ei commentarium consulatus sui Graece compositum ad corrigendum mittit.

Saepe fit, ut Cicero, si amico scribit, plerumque primum tantum aut sententiarum poetae aut proverbiorum verba citet, partim quod Atticus adeo Graeci sermonis peritus erat, ut, quid Cicero vellet, intellegeret, partim quod Atticus ipse hoc more saepius utebatur. Nonnumquam Atticus singula harum sententiarum verba commutat, quo facilius haec sententia ad id quod vult pertineat.

Collegimus locos epistularum Attici, ex quibus haec consuetudo elucescit:

1) ep. I, 20, §3: .. et, eam quam mihi dicis obtigisse, Σπάρταν non modo numquam deseram.

Haec Attici verba respiciunt ad versum ex Euripidis Telepho (fr. 723 Nauck²), qui fere proverbii vim obtinuit: „Σπάρταν ἔλαχες, κείναν κόσμει" (cf. epp. ad Att. IV, 6, §2). Haec verba ab Agamemnone ad fratrem dicta videntur esse.

Atticus in epistula sua scripsit: „Σπάρτα tibi obtigit", proverbium hoc ad dimidium in sermonem Latinum vertens.

2) ep. II, 1, §8: sed, ut tu ais, ἅλις σπουδῆς.

cf. ep. II, 19, §1: dices fortasse: „dignitatis ἅλις tamquam δρυός."

Proverbii huius, quo Atticus utitur, forma est: ἅλις δρυός. cf. Fr. H. Gr. I, pg. 234, 2. Porphyr. de abstinentia IV, 1, 2. Zenob. II, 40. Euseb. Pr. Ev. III, pg. 86ᵇ.

Sensus huius proverbii est homines primum glandibus a-
luisse, postea autem alii victui se dedisse. - Ut hi homines ad alium victum se flexerunt, ita hoc loco ad aliquid novi Atticus se vertere cupit; huius proverbii verba de consilio commutat, ita ut pro verbo „δρυός" verbum „σπουδῆς" implectat. Significare Atticus vult: „sed satis de seriis et gravibus rebus cogitavimus."

3) ep. II, 16, § 4: quod de Quinti fratris epistula scribis, ad me quoque fuit πρόσθε λέων ὄπιθεν δὲ....

Atticus de Quinti fratris epistula agit et, ut Quinti epistulae inconstantiam et varietatem animi significet, ex Homeri Iliade (l. VI, v. 181) versum illum de Chimaera adhibet (πρόσθε λέων ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα), qui tam notus erat, ut nihil scribere deberet quam

„πρόσθε λέων ὄπιθεν δὲ.."

4) ep. VI, 1, § 1: iis [i. e. litteris tuis] igitur respondebo non „χρύσεα χαλκείων" (sic enim postulas)...

§ 22: habes ad omnia, non, ut postulasti, „χρύσεα χαλκείων", sed paria paribus respondimus.

Atticus in hac epistula Ciceronem rogat, ut sibi rescribat „χρύσεα χαλκείων". - Depromptum hoc est ex Homeri Iliade (l. VI, v. 236: χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων), ubi Glaucus et Diomedes arma inter se permutant, ut aurea alter pro aëneis accipiat. Atticus Ciceronis litteras χρύσεας, suas χαλκείας nominat.

5) ep. VII, 3, § 5: sed, quoniam res eo deducta est, non quaeram, ut scribis: „ποῦ σκάφος τὸ τῶν Ἀτρειδῶν;"

Hoc loco Atticus ex Euripidis fabula, quae „Troades" nominatur, versum 455 citat (ποῦ σκάφος τὸ τοῦ στρατηγοῦ;) sed, ut puto, memoriae errore pro „τοῦ στρατηγοῦ" „τῶν Ἀτρειδῶν" scribit, quod in versu 461 invenitur (καὶ δόμους πέρσασ' Ἀτρειδῶν).

6) ep. IX, 7, § 5: egregie probo fore ut, dum vagamur, ὁ πλόος ὡραῖος obrepat.

Atticus scripserat: „dum vagamur, ὁ πλόος ὡραῖος obrepet", citans non verba illa nota ex Hesiodi opere (op. v. 665 Rzach: ὡραῖος πέλεται θνητοῖς πλόος) sed, ut nobis videtur, verba Leonidae Tarentini, quae servantur (Anth. Palat. l. X, 1,1: „ὁ πλόος ὡραῖος καὶ γὰρ λαλαγεῦσα χελιδὼν ἤδη μεμύκωκεν"), praesertim cum in Attici huius temporis epistulis „λαλαγεῦσα" inveniatur.

cf. ep. IX, 18, §3: inde exspecto equidem λαλαγεῦσαν illam tuam.

ep. X, 2, §1: λαλαγεῦσα iam adest.

7) ep. IX, 15, §3: cum tu haec leges, ego illum fortasse convenero. „τέτλαθι", „κύντερον" ne illud quidem nostrum proprium.

Atticus in hac epistula verbis illis utitur, quae depromsit ex Homeri Odyssea (l. XX, v. 18: τέτλαθι δή, κραδίη· καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης) aut haec verba saepe in ore habebat. Haec sententia tam nota erat, ut Atticus nihil aliud scribere deberet quam: „τέτλαθι - κύντερον". Sensus verborum patet.

8) ep. XII, 5, §1: fac non ad „διψῶσαν κρήνην" sed ad Πειρήνην eum [sc. l. fratrem] venisse et „ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφειοῦ", ut scribis, haurire ...

Atticus verba ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφειοῦ ex Pindari Nemeis (I, 1) depromsit. Ut Alpheus fons uberrimus Graeciae erat, ita Atticus his verbis arcam suam plenam significat eamque opponit διψώσῃ κρήνῃ.

9) ep. XIII, 39, §2: σκολιὰ enim tibi video placere. — Atticus Ciceroni scribit: „σκολιὰ mihi placent" respondetque his verbis ad Ciceronis epistulam XIII, 38. Cicero hoc loco scribit: §2) nunc me iuva, mi Attice, consilio, „πότερον δίκᾳ τεῖχος ὕψιον ... ἢ σκολιαῖς ἀπάταις". Ut enim Pindaro sic, „δίχα μοι νόος, ἀτρέκειαν εἰπεῖν". — Atticus hoc loco non ipse primus Pindari verbis utitur sed verba Pindari ex pri-

ori Ciceronis epistula depromit. - Prima Pindari sententia invenitur apud Platonem (Pol. II, 365B = frgt. 213 Schröder). - Atticus dicere vult sibi placere, ut Cicero dolorem dissimulet et cum Quinto caute agat.

10, ep. XV, 17, §1: quid tu autem? "τὰ μὲν διδόμενα [sc. δέχεσθαι]. - Atticus initium proverbii citat, quod et invenitur apud Platonem (Gorg. pg. 499C ... καὶ τοῦτο δέχεσθαι τὸ διδόμενον παρὰ σοῦ)

Respiciunt haec verba ad debitum aliquod ex parte solvendum, ut videtur.

11, ep. XII, 5, §5: Cupidus ille [i. e. Cornelius Nepos] meorum? qui ea, quibus maxime γαυριῶ, legenda non putet? Et ais „μετ' ἀμύμονα". - Atticus his verbis respicit ad Homerum qui Aiacem fortissimum describit: „τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ' ἀμύμονα Πηλεΐωνα" (Ilias l. II, v. 674). Atticus Ciceroni scripserat Nepotem alterum a Cicerone esse, ut Aiacem ab Achille.

12, ep. XVI, 13a, §2: ecce tibi altera [sc. epistula], qua hortaris: "παρ' ἠνεμόεντα Μίμαντα, νήσου ἔπι Ψυρίης, Appiam scilicet ἐπ' ἀριστέρ' ἔχοντα." - Atticus Ciceroni versibus Homeri (Od. l. III, 171 sq.) iter indicaverat, Homeri versus commutans. (Legitur enim apud Homerum: νήσου ἔπι Ψυρίης, αὐτὴν ἐπ' ἀριστέρ' ἔχοντες, ἢ ὑπένερθε Χίοιο παρ' ἠνεμόεντα Μίμαντα.)

13, ep. II, 9, §1: ... quem illa "βοῶπις" ad te est relatura.

ep. II, 14, §1: ... quantam de colloquio "βοώπιδος" [sc. exspectationem movebas]. - Atticus hac voce, quam ex Homeri verborum copia deprompsit, Clodii sororem significat Iunonis epitheto (cf. Il. A, 551; Δ, 50; Π, 439 et alias) et propter oculorum magnitudinem et quia eam publicus Clodius uxoris loco habuisse dicitur ut Iupiter Iunonem.

14, ep. IX, 10, §7: "... ita ut, ... „hanc" νέκυιαν relinquas."

ep. IX, 11, §2: quam illam "νέκυιαν" ut tu appellas timere.

ep. IX, 18, § 2: quae, ut tu soles dicere, „νέκυια".
Hoc verbum, quod Atticus in deliciis adhibet, depromptum est ex inscriptione undecimi Odysseae libri, in quo manes evocantur ab Ulixe.

Si paucis verbis id quod ex hoc catalogo elucet, complectimur, adnotandum putamus Atticum amare aut poëtarum sententias commutare (cf. no. 2, 12!) aut prima tantum sententiarum verba praebere (cf. no. 3, 4, 7, 8, (9), 10, 11!). Memoriae errore Atticum non errasse nisi in exemplo nostro 5 putamus; interdum primam sententiae partem Graeca, secundam partem Latina lingua praebet (exemplum 1); in exemplo nostro 6 Atticus primam tantum sententiae partem citasse et in posterioribus epistulis huius sententiae secundam partem epistulis suis implexisse videtur!

Longe plurimae sententiarum apud Homerum inveniuntur (3, 4, 7, 11, 12, 13, 14) (nec mirum!), ex Euripidis fabulis depromptae sunt sententiae, quas sub numeris 8 (et 9) rettulimus. Maximi ponderis nobis videtur esse versus Leonidae Tarentini, qui, adhuc in Anthologia Palatina servatus, demonstrat Atticum et recentiorum poëtarum opera non ignorasse. —

Adnotandi dignum nobis videtur complures elocutiones Graecas, quas Attico tribuimus, in aliis Ciceronis ad Atticum epistulis in versionibus Latinis inveniri. Ciceronem interdum Attici elocutiones Graecas transposuisse in verborum suorum copiam easque adhibuisse conicere licet. Nonnullis tamen locis illustratur Atticum ipsum cum Graecam elocutionem et huius elocutionis versionem Latinam tum Latinam elocutionem et huius elocutionis versionem Graecam in epistulis suis ad-

hibuisse.

Atticus in ep. VI, 2, §8 scribit: „mordeor interdum, quod non simul tecum esse possum."

Idem in ep. XI, 7, §8 scribit: „in bonam partem velim accipias, si quae sunt in epistulis meis quae te mordeant."

In ep. XIII, 20, §4 verba invenimus: δεδήχθαι te nollem. Atticus scripserat, ut conicimus „δέδηγμαι."

Nobis videtur Atticus in epistulis et verbum „δέδηγμαι" et verbum „mordeor" adhibuisse.

Similiter invenimus elocutionem „bellum ἄσπονδον", quae idem fere valet ac „caedes" aut „bellum nefarium."

1) ep. IX, 10, §5: „... sin [Pompeius] Italiam relinquit, ad posterum bellum ἄσπονδον strui existimo."

2) ep. VII, 22, §1: tu caedem non sine causa times [haec sunt verba Ciceronis]. Atticus aut scripserat „caedem timeo" aut sententia, quam sub numero 1 rettulimus, huic Attici epistulae inerat (quod nobis non videtur!).

3) ep. IX, 9, §4: Cicero scribit: nec sine causa et eos qui circum illum sunt, omnia postulantes et bellum nefarium times. Atticus scripserat: „et eos qui circum illum [i. e. Caesarem] sunt omnia postulantes et bellum nefarium timeo."

Atticus in epistulis suis et „bellum ἄσπονδον" et „caedem" et „bellum nefarium" adhibuisse videtur.

In ep. IV, 6, §2 legimus: ergo erimus ὀπαδοί qui κορυφαῖοι esse noluimus? ..., tibi enim ipsi (...) sic video placere. - Atticus hoc loco Ciceronem admonet, ut et ipse et Cicero „ὀπαδοί", non „κορυφαῖοι" sint.

In ep. XV, 13, §1 Cicero scribit: adsentior tibi, ut nec duces simus nec agmen cogamus, faveamus tamen. - Atticus scripserat: „nec duces simus, nec agmen cogamus, faveamus tamen." - Hanc versionem Grae-

ci verbi „ταγός" in „ducem" Atticus in epistula sua adhibuerat, ut ex his exemplis patet.

Nonnullis locis Cicero Attici elocutiones Graecas Latina lingua praebuisse videtur.

cf. ep. IV, 1, §18: et tu belle ἠπόρηκας. – A. scribit: „ἀπορῶ."

ep. VI, 12, §4: denique ipsam ἀπορίαν tuam cupio cognoscere. – Atticus adhibet vocem „ἀπορῶ."

ep. IX, 10, §7: + „plane ἀπορῶ."

Haec phrasis in Latinum sermonem conversa invenitur in

ep. IX, 2a, §3: plane nesciebamus. ep. IX, 17, §2: plane nescio.
ep. XIII, 13, §2: nunc autem ἀπορῶ, quo me vertam.
ep. V, 19, §4: ut plane .. nesciat.

Nobis videtur Attici scribendi genus hoc loco ad Ciceronis scribendi rationem aliquid valuisse. Etenim, ut Atticus in ep. IX, 10, §7 scripsit: + „plane ἀπορῶ", ita et sine dubio in prioribus epistulis hoc Academicorum termino utebatur, ut Cicero amici sui scribendi ratione usus esse videatur, praesertim cum verbum „plane", quod antecedit, et in Ciceronis elocutionibus inveniatur.

Attici exclamationem + „ὑπέρευ" (ep. X, 1, §3) invenimus in sermonem Latinum a Cicerone versam in ep. IV, 4b, §1: perbelle feceris...

Ex Attici epistula depromptum videtur „σχεδιάζοντα" (ep. VI, 1, §11); hanc phrasin Cicero alio loco in sermonem Latinum versam praebet:

ep. XII, 1, §2: ... quicquid in buccam [sc. venit].

Hoc loco duas Titi Pomponii Attici sermonis Graeci proprietates attingere nobis in animo est.

1.) Atticus morborum nomina Graecis plerumque vocabulis significare solet.

2.) Atticus philosophiae terminos Graeca plerum-

que lingua praebet itemque terminos, qui ad rem publicam pertinent.

Testimonia ad 1.

ep. II, 2, §1: "νοσεῖ."
ep. VII, 7, §3: "λῆψις."
ep. IX, 2, §1: "ὑπὸ τὴν λῆψιν."
ep. X, 10, §3: "συνουσία."
ep. XII, 45, §2: "ἀκηδία" (languor).
ep. XIII, 19, §1: "ἀκίνδυνος est."
ep. XIIII, 21, §6: "fert εὐκόλως."
ep. XIV, 5, §1: "ἠσίτησα."
ep. XIV, 19, §1: "ἀσιτία" (?)
ep. XVI, 7, §8: "περιζέσται, περιαλγῆσαι."

Testimonia ad 2.

a) philosophorum termini:

ep. VI, 1, §18: "ἀπορῶ."
ep. IX, 10, §7: "plane ἀπορῶ."
ep. VII, 12, §4: "ἀπορία."
ep. VI, 6, §3: "ἐπέχω."
ep. VI, 9, §3: "ἐπέχω."
ep. XV, 21, §2: "ἐποχή."
ep. VI, 6, §3: "ἐποχή."
ep. VI, 9, §3: "ἐποχή."
ep. VI, 9, §3: "ἐπιχρονία ἐποχή."

b) elocutiones ad rem publicam pertinentes:

ep. II, 3, §3: "ὑπόστασις et πολιτεία."
ep. IV, 8b, §4: "πολιτικῶς te geras!"
ep. IV, 8b, §4: "τὴν ἔξω γεγραμμένην teneas!"
ep. IX, 7, §3: "πολίτευμα de pace."
ep. XIII, 10, §2: "πολιτικώτερα."
ep. XIV, 20, §5: "μὴ πολιτεύεσθαι."

Atticum, negotiatorem cautum, et σκέψεως, i. e. Academiae philosophiam secutum esse testimonia affirmant, quae sub numero 2° collegimus.

Sententiis suis Atticus plerumque singula verba Graeca intexere solebat, ut imprimis fragmenta Attici epistularum demonstrant. (cf. ep. IX, 10, §§4-10; ep. XVI, 7, §§3-6 et alias!)

Restat, ut indicem sermonis Graeci, quo T. Pomponius Atticus in epistulis utebatur, addamus; nulla enim re facilius atque accuratius huius viri verborum copiam cognoscimus.

Ex hoc indice sermonis Graeci intellegimus Atticum in epistulis verba ex lingua Graeca sui temporis, quam nos „Zeitsprache" nominare solemus, deprompsisse. - Inter auctores Graecos huius temporis

longe primum ordinem obtinet Polybius historicus, cuius opus nobis adhuc servatur. Multa Attici sermonis verba Graeca primus Polybius adhibet; manifestum est Atticum, qui librum annalem composuit, Polybio imprimis usum esse; qua de causa conicere licet Atticum multas tales voces ex Polybii verborum copia deprompsisse. Hoc praecipue nobis videtur, cum Atticus voces adhibet, quae apud nullum alium scriptorem nisi apud Polybium inveniuntur.*)

Conspectus notarum:

P. significat hanc vocem apud nullum scriptorem nisi apud Polybium inveniri.

„P." significat hanc vocem imprimis apud Polybium inveniri.

A. significat hanc vocem apud nullum scriptorem nisi apud Atticum inveniri.

„A." significat hanc vocem apud Atticum primum inveniri.

Nominibus morborum litteram m., philosophiae terminis litteram ph., nominibus, quae ad rem publicam pertinent, litteram r.p. appinximus.

Linea nigra (—) adnotavimus hanc Attici vocem depromptam esse sive ex poëtarum Graecorum operibus sive ex proverbiis.

---

*) Quamquam haec thesis evidens atque illustris nobis videtur, tamen cautionem adhibere necesse est, quia Atticus sine dubio praeterea multis aliis scriptoribus utebatur, quorum opera memoriae prodita non sunt. Nullum enim fere nisi Polybium huius temporis scriptorem habemus, qui Graeca lingua utitur, quam nos κοινὴν nominare consuevimus.

Index sermonis Graeci.

ἀδόλεσχος (loquax) — XII; 11,2.
ἀκηδία (languor) — XII; 45,2.
ἀκίνδυνος (vacuus a periculo) — XIII; 19,1.
ἀκολασία (lascivia) — XIV; 11,1.
ἀλίμενος (portu carens) — IX; 13,5.
ἅλις (satis) ? — XV; 3,2.
ἅλις δενός — I; 19,1.
ἅλις σπουδῆς — II; 1,8.
ἁλιτενής (maritimus) — XIV; 13,1.
ἀλογίστως (inconsiderate) — IX; 11,4.
Ἀμαλθεία (Attici bibliotheca) A. — II; 7,5.
ἄμπνευμα ἱερὸν Ἀλφειοῦ — XII; 5,1.
μετ' ἀμύμονα — XII; 5,5.
ἀνεμοφόρητος (a ventis in diversas partes latus) A. — XIII; 37,4.
ἀντέχω (?) — XV; 20,1.
ἀπάντησις (obviam itio) A. — IX; 7,4.
ἀποθέωσις (consecratio) A. — XII; 12,1.
ἀπορία (inopia consilii) — VII; 12,4.
ἀπορῶ (nescio quid dicam) — VI; 1,18. IX; 10,7.
ἀσελγὲς συμπόσιον (convivium improborum) — II; 12,2.
ἀσιτέω (a cibo me abstineo) — XIV; 5,1.
ἀσιτία (abstinentia a cibo) ? — XIV; 19,1.
ἀσμενιστός (iucundus [an ἀσμένιστος (superl.)] — IX; 10,9.
ἄσπονδον bellum (bellum foederis expers. Pol. I; 65,6) — IX; 10,5.
ἀστρατήγητος — VII; 13,1.

ἄτυφος (minime fastuosus) — VI; 9,2.
ἀφίδρυμα (statua) A. — XIII; 29,2.
[ἀκτή (litus) — XIV; 8,1.]
βαθύτης (altitudo) — VI; 1,2.
βοῶπις — II; 9,1; II; 14,1.
γενικώτερον (generalius) — IX; 10,6.
γεροντικόν (senile) — XII; 1,2.
γεωμετρικῶς (accurate) — XII; 5,3.
[ἡ ἔξω] γραμμή A. — IV; 8a,4.
γυμνασιώδης — I; 6,2; [I; 7,1.]
δέδηγμαι (mordeor) — XIII; 20,4.
[τὰ μὲν] διδόμενα [δέχεσθαι] — XV; 17,1.
δέρρεις (pelles; coria) — IV; 19,1.
διψῶσα κρήνη (fons sitiens) — XII; 5,1.
δυσδιάγνωστος A. (difficile diiudicatu) — V; 4,1.
δυσουρία (difficultas urinae) — X; 10,3.
δυσχρηστία (difficultas utendi re aliqua) A. — XIV; 7,6.
δυσωπία (vitiosus pudor) A. — XII; 15,2.
ἐγγήραμα A. (id, in quo senescimus.) — XII; 25,2. XII; 29,2.
ἐκτοπισμός (errores) — XII; 12,1.
ἐνδόμυχον (intestinum) — V; 14,3; 21,4.
[ἡ] ἔξω γραμμή cfr. γραμμή.
ἐπέχω (retineo sententiam) — VI; 6,3; 9,2.
ἐν ἐπιτομῇ (in summario) — V; 20,1.
ἐπιχρονία ἐποχή A. pl. (diutur-

na (sententiae petentio) VI; 9,3.
ἐπιχή [ple] (sententiae petentio) VI; 6,3; 9,3.
ἔρανος (collatio pecuniae) XII; 5,1.
ἐργῶδες (difficile) negotium XV; 19,1.
[Ἑρμαθήνη (columna cum capitibus Mercurii et Minervae) I; 1,5; 4,3.]
[Ἑρμηρακλῆς (columna cum capitibus Hermis et Herculis) I; 10,3.]
εὐήθεια (mansuetudo) VI; 2,10.
εὐθανασία [A.] (bona mors et facilis) } XVI; 7,3.
εὐκόλως (facile) fert XIII; 21,6.

ζηλοτυποῦμαι (invideor) XIII; 13,1.

Ἡρακλείδειον XIII; 12; XV; 13,3.
ἠσίτησα cf. ἀσιτέω!

θεωρία (contemplatio) XII; 6,2.

ἱερὸν ἔμπνευμα cf. ἔμπνευμα!
ἱστορικός [sc. liber] VI; 1,8.

καραδοκεῖν τὸ μέλλον (cupide exspectare) [R.] [Pl. II; 52,6: καραδοκεῖν τὸ μέλλον] } II; 14,8
κενός (inanis) VI; 9,2.
κέρας (cornu) V; 20,9; 21,9; VI; 1,2.
κατὰ τὸ κηδεμονικόν [P.] (accurate) } I; 17,3.
κοινότερος (magis communis) XIII; 10,2.
[κρατήρ (crater) I; 8,2.]
κρήνη διψῶσα cf. διψῶσα κ.!
Κῦρος δ' ε' (titulus quarti et quinti libri, quem Antisthenes Cynicus composuit } XI; 38,4.

λαλαγεῦσα sc. χελιδών IX; 12,3; X; 2,2.
λήκυθος (ampulla olearia) (ponitur pro pigmentis oratoriis) } I; 14,3.
λῆψις [m.] febris impetus) VII; 7,3.
ὑπὸ τὴν λῆψιν [m.] (sub ipsum febris impetum) } II; 2,1.
τί λοιπόν; (quid superest?) VI; 1,20.
? λ = λοιπῷ ? XV; 17,1.

(τὸ) μέλλον καραδοκεῖν cf. καραδ.!
μετέωρος (levis; vanus) V; 11,6.
μετ' ἀμύμονα cf. ἀμύμονα!
[Παρ' ἠνεμόεντα] Μίμαντα XVI; 13a,1.
Ligurinus μῶμος (L. irrisor) } V; 20,6.

νέκυια IX; 11,7; 11,2; 18,2.
?νοσέω (aegroto) I; 2,1.

οἰκεῖον (proprium) I; 10,3.
οἴχομαι (perii) cf. Plaut. Trin. V. 419. } VI; 1,1.
ὀπαδός (comitator) IV; 6,2.

πάνυ φιλοστόργως cf. φιλοστόργως!
παρ' ἠνεμόεντα Μίμαντα cf. Μίμ.!
παρέζομαι παραλύσει [m.] (membrorum torpore vexor) } XII; 7,8.
πεπλογραφία [A.] (Varronis opus) } XVI; 11,3.

(ὁ) πλόος ὡραῖος — IX; 7,5.
(ὑπόστασις et) πολιτεία a.p. — II; 3,3.
(μὴ) πολιτεύεσθαι a.p. — XIV; 20,5.
πολίτευμα a.p. — XI; 7,8.
πολιτικῶς (te geras!) a.p. — IV; 8b,4.
πολιτικώτερα a.p. (magis politica) — XII; 15,2.
Ποῦ σκάφος τὸ τῶν Ἀτρειδῶν: — VI; 3,3.
πρᾶξις (factum) — XIV; 19,5.
πρόπυλον (vestibulum) — VI; 6,2.
πρόσνευσις (inclinatio) A. — V; 4,2.
Πρόσθε λέων.... — II; 16,4.
πυροὺς εἰς δῆμον: frumentum in populum distribuere. cf. Herondas II; 16,19. — VI; 6,2.

ῥηξίθεμις? — XV; 10,3.
ῥοπή (propensio) — XII; 5,4.

σαλάκωνα A. ? — XIV; 2,2.
(ποῦ) σκάφος cf. ποῦ σκ.!
σκολιός — XIII; 39,2.
Σπάρτα tibi obtigit — I; 20,3.
στέργω (probo) — IX; 10,7.
συμπαθῶς A. (cum commiseratione et quasi condolentia.) — VII; 4,4.
συμπόσιον ἀσελγές cf. ἀσελγές!
συναγωγή (collectio) — IX; 13,3; XII; 5,5.
σχεδιάζω (scribo quod mihi „in buccam" venit) — VI; 1,4.
σχόλιον (glossema) — XVI; 7,5.
(ἐπὶ) σχολῆς — II; 5,5.

ταγός (dux) — IV; 6,2.
(περὶ) τελῶν σύνταξις (Ciceronis l. „de finibus!") — XIII; 12,3.
τέτλαθι - κύντερον — IX; 15,3.
τὸ λοιπόν; cf. λοιπόν.
τοποθεσία (situs) A. — I; 13,5.
[τυροτάριχος (tyrotarichum) salsamentum cum caseo (cf. ad. fam. IX; 16,7)] — IV; 8c,1.

ὑπέρευ (= perbelle) — X; 1,3.
ὑπόθεσις (argumentum) — XII; 45,2.
ὑπόστασις (et πολιτεία) A.P. — II; 3,3.
ὑπὸ τὴν λῆψιν cf. λῆψις!
ὕπουλος (subdolus) — X; 11,1.

φαλαρισμός (qui similes actiones ac Phalaris tyrannus committere audet) A. — VII; 12,2.
φιλένδοξος (ambitiosus) A. — XIII; 19,3.
φιλορήτωρ (artis oratoriae amicus) A. — I; 13,5.
φιλοστοργία (amor) — VII; 2,4.
(πάνυ) φιλοστόργως (amantissime) — XV; 27,1.
φυσικός (naturalis) — VII; 2,4.

χρησμός (oraculum) — IX; 10,8.
χρύσεα χαλκείων — VI; 1,1.

ὡραῖος ὁ πλόος cf. (ὁ) πλόος ὡ.!

In ep. VI; 9, §3 Atticus adhibet vocem „ἐπιχρονία ἐποχῇ“. Atticus hoc loco non scribit: „ἐπιχρόνιος ἐποχή“, sed „ἐπιχρονία ἐποχῇ.“ Haec forma nusquam alias invenitur, ut non liqueat utrum Atticus erraverit necne. Fortasse Atticus ipse hanc vocem aliunde deprompsit.

Caput II.

De Latini in Titi Pomponii Attici epistulis sermonis proprietatibus.

Titi Pomponii Attici sribendi ratio complures nobis sermonis Latini proprietates affert. Nam Atticus, negotiator cautus, semper finem prospiciebat ideoque semper quid novi fieret, cupide cognoscere studebat.

cf. ep. II; 12, §1: „scire aveo quid sit novi.“
[Similia exempla ep. IV; 15, §3; ep. XI; 4 §§ 1, 2; ep. VII; 12, §1.]

Semper quaerere solebat: „Quorsum hoc evadet?“ Praecipue hanc elocutionem Atticus saepe adhibebat.

cf. ep. IX, 10, §4: „et illius [i.e. Pompeii] rationes quorsum fluant.“

ep. IX, 18, §4: „videamus, hoc quorsum evadat!“

ep. XIV, 15, §4: „quoad audias, haec, quae commota sunt, quorsus evadant.“

Saepe in epistulis Atticus amicum, ne praemature agat, rogat eademque elocutione utitur:

cf. ep. XIV, 19, §6: „laudo te, quod nihil ante de profectione constituas, quam, ista quo evasura sint, videris.“

ep. XIV, 15, §3: ... „tamen exitum exspectare debemus!“

Proprium huius Attici scribendi generis senten-

tiae sunt, quarum pars prior verbo „quamquam“, pars posterior verbo „tamen“ introducitur. Aliae similes sententiae simili modo verbis „si“ et „sin autem“ introducuntur. Praecipue eiusmodi sententiae negotiatori cauto conveniunt atque Atticum semper praecaute cogitasse semperque ne nimium dicat cavisse demonstrant, ita ut (aut Cicero aut) ipse responsa sua „[illegible]“ nominet (ep. IX, 10, §5!).

Nonnulla horum exemplorum ad verbum ex epistulis transscribimus:

ep. VII, 17, §2: „si in Hispaniam profectus erit, si praesidia dimiserit [cetera desunt].“

ep. II, 1, §4: „quamquam negotiis impeditus sum, tamen accurram.“

ep. IX, 10, §4: „si Gnaeus Italia cedit, in urbem redeundum puto.“

ep. IX, 10, §5: „ego, si Pompeius manet in Italia ... longius bellum puto fore; sin Italiam relinquit, ad posterum bellum ἄσπονδον strui existimo.“

ep. IX, 10, §8: „et quamquam magna sollicitudine, tamen ... maneo in sententia.“

ep. XII, 14, §1: „si multum potest Octavianus, ..., sin autem vincitur, Antonius intolerabilis erit.“ [Similia exempla: ep. VIII, 2, §4; ep. IX, 7, §3; ep. IX, 10, §4; ep. IX, 10, §7; ep. IX, 10, §9; ep. XII, 23, §1; ep. XIV, 15, §3 et alias!]

Attici scribendi rationis insigne nobis videntur esse adhortationes, quibus saepe utitur. Atticus tales adhortationes praebet formā coniunctivi praesentis in prima pluralis persona. - Tales adhortationes sunt:

ep. II, 14, §2: et tamen illud probem: „magnum quid aggrediamur et multae cogitationis atque otii.“

ep. IX, 9, § 1: „faciamus igitur, ut censes*, colligamusque) nos!"

ep. IX, 10, § 4: *„sed videamus, et Gnaeus quid agat, et illius rationes quorsum fluant."

ep. II, 18, § 4: *„videamus, hoc quorsum evadat."

ep. XII, 6, § 2: *„coram constituemus."

ep. XIV, 14, § 3: *„contenti Idibus Martiis simus!"

ep. XV, 19, § 1: *„fugiamus et coram ..!"

ep. XV, 13, § 1: *„nec duces simus nec agmen cogamus, faveamus tamen!"

Rarius invenitur in adhortationibus forma imperativi; pauca tantum exempla solis servata sunt. (Ei loci, in quibus nos hanc formam restituimus, nihil valent.) -

ep. III, 9, § 2: *„nunc Hortensium allice, et eiusmodi viros!"

ep. VII, 7, § 7: *„depugna potius quam servias!"

ep. XI, 6, § 2: *„crede mihi."

Quotienscunque Atticus amico consilia dat, semper huius consilii auctores enumerare solet.

cf. ep. IX, 10, § 10: „Peducaeo quoque nostro probatur, quod quiescis."

ep. XI, 6, § 1: „ceteris quoque factum tuum probatur."

[Similia exempla: ep. XI, 6, § 2; ep. XII, 38, § 6; ep. XV, 29, § 1; ep. XII, 2, § 4; ep. XII, 6, § 2 et alias!] -

Usus Atticus in epistulis aposiopeseos figuram ad-

---

*) Hoc loco mentionem facimus adnotationis, quam fecerunt et Tyrrell-Purser et Bost in editionibus, qui hanc adhortationem Attici esse negant; ex exemplis quae collegimus, neminem non credere putamus hanc elocutionem ex Attici epistula depromptam esse. -

hibet; et hanc consuetudinem ex negotiatoris dicendi genere nasci putamus. Etenim Atticus permultis in negotiis semper versabatur neque multum temporis ad amici epistulas respondendas consumebat; nonnullis in epistulis hanc aposiopeseos figuram Attici cautione tribuendam putamus esse, quod, quia ignoto tabellario epistulam tradebat, maxima cautione utebatur. Haec consuetudo Attici in epistulis passim invenitur, praesertim in fragmentis ad verbum servatis. Nonnulla exempla praebemus:

ep. III, 10, §1: „reliqua Thessalonicae!"
ep. XII, 41, §1: „quando ex hoc loco?"
ep. XIII, 39, §2: „Brutus eadem..."
ep. XIII, 40, §1: „sed ne is quidem, ..., bene de nostro..."
„sed coram!"
ep. XV, 1ª, §5: „Brutus rogat, ut ante Kalendas..."
ep. XIV, 7, §3: „bene igitur tu, qui ἐνδυναμίαν..., bene!"
ep. XVI, 14, §2: „te moneo, ut pedetemptim..."

De deminutivorum usu in Attici epistulis non ita multum certi dici potest. Etsi deminutivorum usus urbanitatis signum esse nobis videtur, tamen affirmare non possumus Atticum ea saepius adhibuisse quam Ciceronem; immo vero Cicero in responsis ad Attici epistulas saepius iis utitur quam Atticus; Attici deminutiva sunt:

ep. II, 1, §3: „oratiuncula" cf. ep. XV, 3, §2).
ep. IV, 8ª, §1; ep. VI, 8, §5; ep. VII, 2, §7: „raudusculum".
ep. V, 19, §2; ep. VI, 1, §22; ep. VII, 2, §4: „filiola".
ep. V, 13, §2: „negotiola."
ep. VI, 9, §5: „Tulliola."
ep. XIV, 20, §5: „Antonii dexterula".
ep. XII, 1, §2: „igniculum."

Contra deminutivorum usum in morbis designandis Attici sermonis insigne putamus esse.

Ad hoc talia nomina collegimus:

ep. IV, 6, §2: „melinsculo Lentulo est."
ep. X, 9, §1: „febricula." ep. XI, 1, §2: „febricula."
ep. XII, 11: „commotiuncula." ep. XIV, 5, §1: leviter commotus."
ep. XIV, 8, §2: „nauseola." ep. XV, 16, §4: non belle fuit."

Nonnullas voces Graecas, quas in indice nostro Graeco collegimus, Atticus in epistulis forma Latina praebuerat, ut videtur; tales voces sunt:

ep. I, 4, §3: } „Hermathena." ep. II, 8, §2: „crater."
ep. I, 1, §5: } ep. XIV, 8, §1: „in actis tuis."
ep. I, 10, §3: „Hermeracla."

Saepius Atticus, ut conicere licet, utitur verbis „de via recta".

cf. ep. IV, 5, §5: „tu (?) †de via recta† in hortos."
ep. XII, 2, §2: iam te videbo et quidem, ut spero, †de via recta† ad me.

Amicorum nominibus Atticus non verbum „meus" sed „noster" apponere solebat.

cf. ep. VI, 2, §7: Atticus scribit: † „Brutus noster."
ep. IX, 10, §10: † „Seducaeo quoque nostro probatur..."
ep. XIII, 7, §4: † „nam si a Phaedro nostro.."
ep. XIII, 7, §5: † „nam Brutus noster silet."

Hoc loco duo exempla addimus, quae demonstrant quam accurate Attici scribendi genus fuerit:

1) ep. VI, 2, §3: „Phliasios" autem dici sciebam, et ita fac ut habeas: nos quidem sic habemus.

2) ep. VII, 3, §10: venio ad „Piraeea"; in quo magis reprehendendus sum, quod homo Romanus „Piraeea" scripserim non „Piraeeum" (...), quam, in „quod" addiderim.

In primo exemplo Cicero ab Attico vituperatur,

quod non „Phliasii", quae forma apud Romanos usitata erat, sed „Phliuntii" scripserat. [in libro „de re publica II, 4.].

In secundo exemplo Atticus amicum reprehendit, quod Cicero „Piraeea" non „Piraeum" scripserat et quod huic oppido „in" addiderant. Nam Romani, si accurate loquebantur, non „in Piraeea" sed „Piraeum" dicere solebant, omissa praepositione „in", quia Piraeum inter parva oppida numerabant. (cf. R. Herzog, Historische Zeitschrift vol. 125, 114 sqq.!)

Exempla, quae ad Attici in epistulis verborum copiam atque ad eorum usum spectant, hoc loco addimus:

1.) ep. XIII, 21, § 3: nunc, ad rem ut redeam, „inhibere" illud tuum, quod valde mihi adriserat, vehementer displicet.

Atticus Ciceroni suaserat, ut in Academicorum prima recensione non „equos sustinebo" scriberet, sed „equos inhibebo."

2.) ep. XV, 13, § 3: quod ad te antea atque adeo prius scripsi - sic enim mavis -

Atticus, ut videtur, Ciceronem propter „antea" pro „prius" utendi consuetudinem reprehenderat.

[3.) Pro „fuga" Atticus iocose „peregrinatio" scripserat (ep. IX, 10, § 4!)]

Priusquam adnotationes nostras de Titi Pomponii Attici sermonis Latini proprietatibus ad finem perducamus, duas tantum quaestiones adumbrare cogitamus:

1.) Cicero in epistulis ad Atticum saepe scribit „quid quaeris?" sive „quid putas?" sive alia quaestione eiusmodi utitur. Nos omnes tales quaestiones diligentissi-

me perscrutati hoc loco affirmamus tales Ciceronis quaestiones plerumque „rhetoricas" esse. Ex sensu semper diiudicandum est.

2.) Consentaneum est in Ciceronis ad Atticum epistulis saepe verba et elocutiones inveniri, quae in aliis Ciceronis scriptis desiderantur. Nonnullae talium elocutionum certe a Cicerone ex Attici verborum copia depromptae sunt.

Sermonis Latini indicem componere adhuc nequeo, quia, cum adhuc indices totius Ciceronis sermonis nobis desunt, tum fragmenta, quae nobis ex Attici epistulis servata sunt aut magis aut minus incerta sunt semperque manebunt; adnotationes nostras concludimus enumeratione talium Attici verborum quae Cicero ex amici verborum copia deprompsisse videtur. Tales voces plerumque ad negotia pertinere non mirum est, quia in nullo verborum genere Cicero plura ab amico discere poterat.

recolligo (= reconcilio)	I, 5, 5.	aperio (= promitto)	V, 1, 2.
decido de aliqua re	I, 5, 2.	res perducitur ad centena	XIV, 10, 3.
ruta (= caesa)	IX, 2, XI, 2, 5; VII, 2, 7.	versura	XV, 20, 4.
perscriptio	XII, 5, 3.	despondeo bibliothecam	I, 10, 4.
recipio	XIII, 1, 2.	agere de semisse	XV, 29, 1.
convenio alqm.	XIII, 46, 2.	conficio	[XI, 14, 5]
permuto pecuniam	XI, 24, 3.		
expono (= promitto)	V, 4, 3.		

<u>Conspectus notarum:</u>

+ fragmenta ex Attici epistulis, oratione recta servata.

× fragmenta ex Attici epistulis oratione obliqua composita.

' elocutiones Attici Graeca plerumque lingua composita.

Vita:

Natus sum FRIDERICVS KREDEL Nauheimiensis a. d. IV. Kal. Iun. 1899, patre Adamo, matre Elisabetha e gente Kuth, quos ambos adhuc salvos esse summopere gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum primordiis in schola urbis patriae publica imbutus per unum annum scholam patriae meae, quae appellatur „Ernst-Ludwig-Schule" frequentavi. Ab vere anni 1909 ad ver anni 1917 gymnasii illius Friedbergensis quod appellatur „Augustinerschule" discipulus fui.

Vere 1917 maturitatis testimonium adeptus Francofurtum, urbem ad Moenum flumen sitam, me contuli, ut ibi studiis naturalibus me dederem. Docuerunt me cum: Steche, von Strassen, tum: Eitel.

Ad arma vocatus sum a. d. XVI. Kal. Quint. 1917, stipendia feci in Franco-Gallia usque ad pridie Kal. Dec. 1918; vestitum militarem exui pridie Kal. Apr. anni 1919.

Tum inter cives universitatis Ludovicianae Gissensis receptus sum; per octo semestria studiis philologis, archaeologicis, historicis me dedidi. Docuerunt me: Aster, Behaghel, Bieber, Fritzsche, Gundel, Hepding, Herzog, Hirt, Horneffer, Kalbfleisch, Kling, Laqueur, Messer, Rauch, Rodenwaldt, Roloff, Roller, Vigener.

Proseminarii philologi sodalis per duo semestria fui, deinde in seminarium philologum receptus inde ab aestate 1920 sodalis fui; admiserunt me ad seminarium archaeologicum Dr. Rodenwaldt et Dr. Bieber, ad seminarium historicum Dr. Laqueur et Dr. Vigener.

Examen rigorosum sustinui a. d. XVII. Kal. Ian. 1922; opusculo meo praemium ab amplissimo ordine philosophico expositum Kal. Quint. 1922 tributum est.

Facultatem in scholis docendi mense Quint. 1922 assecutus sum.